

que enim vltos magni nominis insignisque doctrinae viros defensores & patronos habuisse videtur, nisi fortasse Bonosum episcopum, de quo idem Ambrosius eadem epistola 79. meminit. praeterea iam tum adeo inualuerant virginitatis laudes, & B. Mariae matris Domini nostri Iesu Christi veneratio, ut facile compesci quaecunque aduersus Mariam blaterarent homines, potuerint. Quemadmodum vero ex huius erroris refutatione confirmatur articuli fidei nostrae & verae, Natus de Maria virgine, sententia, eripiturque Iudaeis occasio eleuandae in eo Evangelii certitudinis, quae in dubium vocari videtur, si Maria post partum Domini nostri Iesu Christi à Iosepho cognita dicatur: sic ex huius virginitatis praeposteram & immodicam certè defensione & commendatione auctae sunt colendae adorandaeque Mariae, & coniugii vituperandi coelibatusque extollendi in immensum occasiones, adeo ut Syricius ipse, sub cuius pontificatu haec disceptatio agitata est, apertissime pronunciarit, sed tamen impiissime, coniugium esse Deo exosum, & qui coniuges sunt in carne viuere, nec Deo iam placere posse. Cuius sententia extat in Decreto. dist. 82. Denique eò tandem ventum est, ut soli coelibes beati, felices, regno caelorum digni vel participes censerentur, contra manifestam Spiritus Dei vocem, Hebr. 13. v. 4: 1. Tim. 4. v. 3. & ut Maria virgo apertè iam in Dei Ecclesia, templis arisque coleretur, & numen Deo par obtineret, de qua scribit Epiphanius, se non audere affirmare vtrum mortua sit, an in ipso corpore immortalis facta. Extabat quidè iam Irenaei dictum de Mariae laudibus, & patrocinio apud Deum pro nobis, si modò illius tantique